



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XXX. Cùm in tua.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Cum in tua.

PARAPHRASIS.

Rescribit Pontifex Episcopo Belvacensi, quod etiam Ecclesie illæ Conventuales, & monasteria, quæ jus percipiendarum decimarum, tam majorum quam minorum, in certis parochijs ab antiquo obtinent, fructuum omnium, qui in illis terris decimabilibus proveniunt, decimas percipere possint, eò quod terra talis, ab antiquo fuerit semper Ecclesijs talibus decimabilis, & res eadem non debeat diverso jure censerì.

SUMMARIUM.

1. Qui præscripsit in aliquo fundo decimas, habet jus decimarum ex quolibet fructu, qui in illo fundo crescit, & decimabilis est.
2. Quomodo intelligi debeat commune illud dictum, quod eadem res non debeat diverso jure censerì?
3. Fundatam intentionem in jure habet parochus ad decimas sua parochia, ita ut alij incumbat probatio, si contra eum ratione decimarum agat parochus.

Notandum primò. Rectè colligi ex h. cap. cum, qui in fundo aliquo præscripsit jus percipiendi decimas, posse petere, & percipere quorumcunque fructuum, qui in illo fundo crescant, decimas, si tamen fructuum illorum, qui in tali fundo crescant, decimas consuetudo solvit; & quidem copiosiores fortasse, quam prius percepit, eò quod fundus ille fructuum, qui modò in illo coluntur, & crescant, feracior sit; sic qui prius ex sylva v. g. paucas aliquas glandes pro decimis obtinuit, postmodum ex illa sylva, si excisa colatur, ut ager, copiosiores fortasse decimas frumenti habere potest.

Notandum secundò. Benè dici, quod non debeat eadem res diverso jure censerì, si scilicet eadem ratio pro quolibet casu militet: quod si enim pro uno casu hæc ratio habeatur, pro alio casu alia; pro uno casu v. g. jus commune, aut consuetudo recepta, pro alio verò casu legitima transactio, præscriptio, vel privilegium &c. si scilicet majores quidem decimæ aut fundi, ad privilegiatum v. g. pertineant, minores verò decimæ ejusdem prædij, aut fundi Ecclesie parochiali, quod fieri potest; idem prædium seu fundus diverso jure censebitur, in quantum quoad fructus majores solvendos privilegiato, quoad minores verò decimas Ecclesie parochiali obligabitur.

Notandum tertio. Fundatam quidem intentionem in jure communi habere parochum ad decimas suæ parochiæ (in hoc enim cap. expressè Pontifex dicit, Ecclesijs parochialibus eas solvendas, ad quas de jure communi spectat decimarum perceptio) ita ut, quamvis spoliatus juxta communem juris doctrinam ante omnia restitui debeat, in causa tamen decimarum, si parochus de rentorem decimis spoliet, locum hoc non habeat, sed debeat spoliatus probare, antequam restituatur, quod sibi jus decimarum competat, prout deciditur in cap. 2. de Restit. spoliati in 6. cum in tali casu præsumptio adversetur spoliato, & jus commune favet spoliati, ut ait relato loco Pontifex.

CAPITULUM XXXI.  
Dudum.

PARAPHRASIS.

Vesprinenfis Episcopus, Hospitalarios Hierosolymitanos, super quibusdam decimis conveniebat, præterdicens ad suam Ecclesiam eas pertinere; exceptit tamen contra Episcopum Hospitalis Prior, allegans præscriptionem, & quod non teneatur respondere: Pontifex tamen mandavit Priori, ut Titulum suæ præscriptionis exhiberet; cui mandato ut obediret Prior,